



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Patriarcharum, Et Christi Jesu Dei Hominis.
Emanvelis Thesavri Patritii Taurinens. Et Aloysii Jvglaris è
Societate Jesu**

Giuglaris, Luigi

Francofvrti, 1684

Iesvs. Dei ac Virginis Filius. Meta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38349

Quod loqueretur, tacendo didicit;
 Nemo diutius infans fuit; nemo altius fatuus;
 In deserto disertus,
 Et jam nihil nisi vox,
 Rudes instruxit, avios reduxit,
 Peccantes increpuit; Reges interruiit,
 Trunco etiam capite clamosus,
 Vivum se Morti approbavit;
 Et ad Mortuos vitæ Præco descendit,
 At at, procumbito Viator;
 Præco filuit, Messias adest.

JESUS CHRISTUS
 DEI, AC VIRGINIS FILIUS.

M E T A.

Sistimur ô tandem tibi Clementissime Assertor.
 Sacri Voluminis Alpha & Omega:
 Non longius vagaturi, te contacto.
 Quò enim procedat qui te accedit, ultimam rerum Metam?
Tu aviti Generis Meta:
 Matris annos in Proavis numeraturus,
 Trium & sexaginta Patriarcharum Stemma claudis,
 Omnium nobilissimum, quia notissimum.
 Nam Patrii Stipites reliqui,
 Quâ commendantur vetustate cariosi,
 Simul eduntur, & exeduntur.
 Tu antiquorum antiquissimus, novissimorum novissimus,
 Majoribus major, posterior posteris;
 Sevisti nobilitatem tuam, & messuisti:
 Verè tuam, quia à te fluxit, in te rediit,
Tu divinorum Operum Meta:
 Cœlesti satù mortalia cœlesticus nectens,
 Ex Deo Homo, ex Virguncula Deus,
 Quod unum de erat universitati miraculum, explevisti.
Tu temporum Meta:
 Summo Solsitio, nocte mediâ, anno extremo natus;
 Solis

Solis fugam, umbrarum incrementa, anni lapsum, inhibuisti;

Et geminus verè Janus,
Antiqui noviq; Sæculi intercalaris Spectator,
Pacem, uti terminales Férias. Orbi indulxisti

Tu Dignitatum Meta:

Quâ in Stabulo contacta Purpurati Astronomi retrocessere,
Nam quis ultra Bubile illud fastus explicet,
Ubi superbix trœnum est fœnum;
O novæ Astronomix sectanei Reges;
Cæteri Præsepe inter Stellas, hi Stellas in Præsepe observarunt.

Scite igitur capitum decora ante tuos pedes projecere;
Gnati, dignitates desinere ubi incipiunt.

Tu Mosaicæ legis Meta,

Durissima jura circumcisis circumcidisti,
Et inamœna Synagogæ spatia metasti,
Lapideo illo gladio pro limitaneo lapide, infixæ,

Tu Sapientiæ Meta:

Pharisæicam Templi Exedram duodennis evertisti.
Nam te audito, qui omnia docebant, nihil se scire didicerunt:

Et infante Magistro, se noverunt Infantes.

Tu infernæ potentia Meta:

Spectante Solitudine cum Lucifero congressus,
Avidum esuriendo strangulasti;
Et incestam illam naturam, æternæ flammæ custodem,
Malarum Vestalium supplicio de rupe impellens,
Hesperum fecisti ex Lueifero.

Tu Peccati Meta:

Jordanem intrando abluens, ut aliorum sordes elueret,
Herculeæ instar columnæ, fluctibus demersus,
Undarum & scelerum cursum progredi vetuisti,

Tu Votorum Meta.

Patrium orbem benemerendo discurras,
Faugato sæpius pede, nunquam manu,
Supplicia à supplicibus avertisti,

Tu Mortis Meta,

Arboris ejusdem paxillo, quo Moïs Adamum transfixerat,
Æqua talione Mortem confixisti:

Quæ

Quæ funestissimo exacto stadio,
Ad eundem stipitem unde mota fuerat, stetit:
At Adamo altero absorpto, priorem vomuit.

In Gloriosa Meta.

Aeneos Orci postes cruenta dextera eluctatus,
Gemei terra sub terras Patriarcharum Populum,
Ab tartareis ignibus ad Emphyreos evexisti.
Relictisq; in Monte vestigiis, quæ insisteremus,
Tam faciles ad te aditus pandis, ut volare sit velle,
Te igitur Beatissimam omnium rerum Metam,
Ex destinato allequutus; exacti operis curam sisto:
Hoc uno rectum, quod ad te pervenit.
Is enim erat, qui à te decerrat.
Hic festivo celeusmate Stationem occupans
Foliorum carbasa complico,
Et pro anchora, ementum calamus figo,
Anno tuo 1643.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

